



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam  
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem  
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum  
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, M.DC.LXXX.**

10. Oppositiones à ratione enervantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

one causarum ordinarum: & eatenus habere certam veritatem absolutam; non autem quatenus euentum indirecte significat. Prophetiam vero præscientie peti ex euentus, quem directe significat, cognitione: quare, si hic in seipso absolute ster, prophetia huius veritatem non stare: ex quibus constat Deum independentem à cognitione causarum ordinarum, & decreto suo, quæ præcipua eius causa & ordinatio est, futurum in seipso cognoscere: imo cognitionem eius in causis ordinatis proprie non futuri, sed causarum ordinarum cognitionem esse, nec propriam Dei de futuro cognitionem, nisi quatenus futurum in seipso cognoscitur. Postrema hæc testimonij pars contra aliam partem doctrinæ aduersariorum de necessaria Dei cognitione futuri, tum absoluti, quam conditionati, dependenter ab actuali Dei decreto aperto Marte directe pugnat: sicut plura alia, quæ ex eodem S. Thom. d. sequenti suis locis proferemus: sed omittenda hic non fuit, quia eius testimonij contra præsentem etiam conclusionem inducti pars erat, quæque eius abusum contra nostram doctrinam aperte monstraret.

6. Plura alia ex Augustino, & S. Thom. haud maiori fructu contra scientiam conditionatorum contingentium independentem à decreto, ac proinde mediam, opponunt: quæ, quia hoc punctum directe non oppugnant, suo loco, nimirum controu. 3. opponenda, ac diluenda erunt: ubi quidquid in eis indirecte, ac præsuppositiue præsentem nostram sententiam impugnet, simul diluetur. Atque ob eandem rationem alia, quæ à ratione conclusionem illam de scientia absolutorum independentem ab actuali Dei decreto directo impugnant, omitemus hic, sicut indirecte conditionatorum contingentium futuritionis independentem à decreto actuali Dei de ipsa consistentiam impugnant.

### CERTAMEN X.

#### *Oppositiones à ratione eneruantur.*

1. Sed opponunt directe contra hanc à ratione: implicat transitus contingentis creati à statu possibilitatis ad alium quempiam eiusdem contingentis statum absolute Dei decreto actuali de eo statu, in quem transit; atque qui status futuritionis conditionatæ alius est contingentis creati à statu possibilitatis contingentis eiusdem: ergo implicat contingentis creati transitus à statu possibilitatis ad statum conditionatæ futuritionis absolute Dei actuali decreto de statu illo conditionato futuritionis. Maior probatur primo à priori: quia implicat contingentis creatum extrahi à statu possibilitatis, & poni in statu alio à possibilitate sine dependentia à Deo: poneretur autem in eo statu conditionato, extrahereturque à statu possibilitatis ad illum contingentis non pro illo dependeret in sui conditionata futuritione à decreto actuali Dei. Probatur secundo: quia ideo solum ob necessariam dependentiam contingentis creati à Deo nequit à statu possibilitatis extrahi contingentis ad statum absolutum, in eoque poni absolute actuali Dei decreto: atqui non minus est dependens à Deo contingentis creatum in statu conditionato magisque potest dependentiam essentialem sui à Deo exuere, quam in absoluto: ergo nec potest extrahi à statu possibilitatis ad statum conditionatum, in eoque collocari absolute actuali Dei decreto de conditionata futuritione ipsius.

2. Responderetur hoc argumentum nihil ad illationem assumere in antecedenti non aperte falsum in sensu obiectantibus ad inferendum proficuo. Maior est aperte falsa, si sit vniuersaliter de statu omni ultra statum possibilitatis, ut conditionatum etiam comprehendit: primo enim falso supponit probandum: scilicet, ad statum conditionatum apponendum opus esse actuali Dei decreto. Secundo est falsa, ex alio quod implicatio supponit sic vniuersaliter accepta: scilicet statu pure conditionato contingentis extrahi à statu possibilitatis, ut iam ostendam in minori. Tertio est etiam aperte falsa, est duo præcedentia omittamus, ut sermo sit de decreto Dei actuali directe

tendente, & determinante efficaciter statum illum contingentis, in quem à possibilitate extrahitur, & adducitur, siue ille futuritionis conditionata, siue absolute sit; qui solum sensus proficuo aduersariis est ad decretum de futuritione conditionata contingentis inferendum: eo siquidem decreto determinato, ac determinante ad futuritionem alterutram contingentis ex illo necessario futuri contingentiam, & libertatem profus euerteret, ut de decreto futuritionis conditionatæ contingentis ostendimus, & de decreto futuritionis absolute ostendimus in sequentibus: atque insuper: quia actus prauos aliunde Deus nequit decernere: igitur ut contingens creatum à statu possibilitatis ad statum alium vere extrahatur, & vere transeat satis est decreto Dei non determinato, aut determinante proinde illud, sed indifferenter concurrendi siue offerente concursum ad voluntatis arbitrium; à qua est determinandum: decretum autem aliud ad apponendum prærequisitum ad contingentis opus non est, ut actu præcedat ad futuritionem conditionatam ipsius v.g. decretum vocationis, seu conditionis alterius purificarium; sed satis est poni, aut supponi in hypothesi, aut pro conditione, saltem implicita, ut aduersarij fatentur; nemoque sanæ mentis potest inficari: cum enim decretum purificarium conditionis eam in statu absoluto deuoluit: eaque absolute posita conditionatum necessario transeat in absolutum: nullum contingentis conditionatum esset, quod subinde absolutum non foret: quod contra scripturam, Augustinum, ac reliquos Patres est, qui de futuris conditionatis egerunt: etenim fides, & conuersio Tyrriorum, & Sidoriorum conditionata solum, nec absoluta manifeste conuincit. Iam maioris eiusdem probationis nihil aliud quam decretum actuale Dei concurrendi ad vtrumlibet pro voluntatis arbitrio, ut vere transeat contingentis à statu possibilitatis ad statum alium probat; eo enim solum saluatur dependentia actualis creaturæ extractæ à possibilitatis statu.

3. Quod autem in minori probationis primæ à priori ponendum independentem à Deo in statu conditionato contingentis, si actuale Dei decretum supponat, adhuc de decreto actuali indifferenter concurrendi est de se falsum, & ratione eius, quod videretur supponere: scilicet poni actu conditionatum in statu conditionato extra statum possibilitatis. Non enim est status per quem formaliter contingens actu ponatur, sed per quem poneretur, si conditio adesset, & quia, cum non sit status actualis, quo extra possibilitatem ponatur contingentis, sed futuritionis suspensæ à positione conditionis, quæ, ut in hypothesi posita absolute non est, satis est, si Dei decretum in eadem hypothesi ponatur, siue explicite, siue implicite ut diximus: ad dependentiam quippe absolutam effectus à causa prima, actuale Dei decretum requiritur; non autem ad eam, quæ absoluta non est, ut patet in effectu possibili. Absoluta autem dependentia eius tantum est, esseque potest, quod actu & absolute est; non autem, quæ solum suspensæ est, seu esset, si conditio poneretur. Secunda probatio eiusdem maioris, ex nunc dictis euanciscit. Nam futurum absolutum habet, seu habebit, statum absolute existentis pro sua duratione, ac proinde actualem Dei, & absolutam dependentiam à Deo, quæ, nisi per actuale Dei decretum concurrendi cum causa libera ab æterno (ob Dei immutabilitatem, & propriam diuinitatem) à Deo conceptum esse non potest; ac proinde, si absolute actuali Dei decreto (non Thomistice quod aduersarij supponunt; sed indifferenter concurrendi) contingentis esset absolute futurum, esset independentem à Deo: inde vero ad statum conditionatæ futuritionis, in quo contingentis actuale aliquod, & absolutum esse non habet, quare neque absoluta & actuali dependentia pro eo statu opus habet, actuale Dei decretum non licet inferre, ut proportionate ad illum dependens à Deo ponatur; sed satis est poni Dei decretum in hypothesi, & ex parte conditionis, saltem implicite, ut dependentiam habeat à Deo in eo statu, sicut habet esse, suspensæ nimirum, & quæ foret, si conditio adhiberetur.

4. Inde etiam constat minoris primi syllogismi inutilitas ad inferendum: est enim status alius sit status conditionatæ futuritionis à statu possibilitatis: non est autem status ad quem contingentis extrahitur actu à statu possibilitatis.

litas: cum plura conditionata, vt fides, & penitentia Tyrorum intra pure possibili maneat; sed status extrahendi à statu possibilitatis, & transitus suspense ad statum, quo à possibilitate extraheretur, & transiret actu, si adhiberetur conditio, transitus à possibilitate ad alium statum, & extractio non est à possibilitate præcisa, à qua non transit, adhuc quod absolute est futurum, aut præsens, manet siquidem cum ea futuritione, aut existentia absoluta de præfenti possibile, quod absolute futurum est aut præsens, quod autem ab vno extremo ad aliud transiret, nequit in illo, à quo transit permanere: est ergo transitus à pura possibilitate, in qua negatio absoluta existentie continetur eius, quod transit ad ea ad statum alium, vtique cum ea negatione, atque ratione illius cum pura possibilitate intemporalis: cum autem conditionata contingentis futuritio cum absoluta eiusdem negatione, puraque subinde possibilitate intemporalis non sit, sed sola eius absoluta existentia, & futuritio sit ad solam absolutam contingentis futuritionem, aut existentiam posse esse actu transitum & extractionem à possibilitate pura, scilicet à qua solum transitus contingentis esse potest; non ad statum eiusdem conditionatum, qui transitus, & extractio à possibilitate pura solummodo esset, si conditio apponeretur.

5. Licet ergo status conditionatæ futuritionis diuersus sit à possibilitatis cum puræ, tum præcisæ statu, non tamen, ad quem transitus & extractio à possibilitate pura sit, effectus actu possit, ac proinde neque actuali causalitate, decreto, causæ vlla actuali opus habet; hæc siquidem ad actum solummodo transitum, & extractionem contingentis à pura possibilitate requiritur absolute potius, ac non suspensio solum præsupponit. Hoc ipsum est, quod multis modis æquiuocis opponit, ac veritatē Ioan. à S. Tho. quod scilicet absolute, & de facto est veritas, & futuritio conditionatæ extracta à possibilitate, ac proinde, si abque actuali decreto sit, dari horridum quid in *rota Theologia*. & Philosophia aliquem statum in creaturis imparticipabilem à Deo, nec ab aliquo eius attributo: concludit pag. 649. sed magis horridum est antiquum Theologiæ Professorum adeo in sententiarum intelligentia, & æquiuocatione terminorum herere. Si enim de obiectiua veritate conditionata, siue existentia, ac entitate loquatur, non magis dici potest absolute, ac non suspensam esse, quam futuritionem conditionatam esse absolutam: si de formali cognitionis quid ad rem, nam eius quod absolute non est, est in Deo absolute cognitum, quæ omnia in possibili qua tali, cuiusque cognitione manifeste instantur. Nam eodem modo, quo absolute verum est conditionatum esse conditionatum vere, verum absolute est, possibile vere esse possibile: & tamen ad eius possibilitatem, cum obiectiua, tum formalem opus non est possibile absolute effectusque actuali Dei decreto absolute: siquidem esse possibile, aut conditionatum per hæc addita possibile, & conditionatum minuitur, vt esse absolute, seu absolutum non significet.

6. Oppones ex satis ingeniosis & artificiosis Recentioribus Dominicanis Magistris Salmantinis nostri iam olim amantissimis: conditionata contingentis futuritio est independentem ab actuali Dei decreto de illa, & ante illud: ergo est pro priori ad omne Dei decretum; sed status prior omni Dei decreto actuali, est status possibilitatis: ergo futurum contingentis conditionatum, siue eius conditionata futuritio, est pro illo priori, status possibilitatis contingentis eiusdem: seu, quod eodem recidit, futuritio conditionata contingentis, nil aliud est, quam eius possibilitas, seu status possibilitatis: & ipsum proinde conditionatum futurum idem omnino, quod ipsum contingentis, vt possibile: siquidem, quod pro priori aliquo est in illo priori clauditur, aliquidque eius prioris est. Inde etiam deduci censent esse conditionatum pro priori ad existentiam Dei: quod est absurdum. Hoc autem est absurdum à nemine concedendum: ergo, & statuere futuritionem contingentis conditionatam independentem à decreto actuali Dei, ex quo hoc inferitur, absurdum erit. Hæc paralogismo occasionem dederunt nonnulli ex nostris, qui futuritionis conditionatæ constantiam absque dependentia ab actuali decreto per aduerbia hæc *ante* decretum actuale, seu *independentem* à decreto actuali in-

Consilij. de Origine, de Deo Vno, Tomus I.

differentes asserbant; aduersarij vero arrepto aduerbio, seu præpositione *ante* alio sensu, pro rigida anterioritate signorum, siue naturæ, siue maioris vniuersalitatis, ac non prout tantumdem valer, atque præpositio *siue* ad signa prioris, & posterioris, siue naturæ, siue vniuersalitatis sophismata egerunt sua, vt in disciplinatos turbarent: Distinguo in antecedenti primo illud *ante*, vt idem sit, atque *absque*, *siue*, siue *independentem* concedo antecedens; prout denotat prioritatem aliquam ad cuiusmodi decretum, seu signa antecedentia naturæ, vel vniuersalitatis nego antecedens. Tum: quia actuale decretum de futuritione conditionata contingentis omnino constituta, & statuta independentem à decreto omni actuali nullum pro vilo signo esse potest: ac proinde respectu illius nihil esse potest signo priori, vel posteriori, siue neque aliquid potest esse prius realiter ente rationis, quod in nullo signo reali esse potest: cum quidquid est entis rationis sit, neque ipsum realiter potest distingui, aut identitari reali enti, quia reale extremum non est: quod autem de futuritione conditionata independentem ab omni decreto constituta, adhuc pro posteriori ad ipsam, nullum actuale decretum esse possit. Patet: quia de effectu præsupposito nullum Dei decretum esse potest; sed solum complacentiæ voluntas.

7. Licet autem pro priori ad futuritionem conditionatam actus contingentis possit esse Dei decretum de illa independentem ab eo, quod causa libera ageret, vel non ageret sub ea conditione, in eaque hypothetici constituta, solum probat, vt summum, posse eam futuritionem conditionatam, quasi supererogatorie e decreto Dei actuali apponi; non autem necessario esse ab eo apponendam: sed neque illud probat. Nam, si ita à Deo apponeretur ea contingentis futuritio non esset liberi, & contingentis respectu arbitrij nostri futuritio: sed omnino nobis, & arbitrio nostro necessaria, vt supra ostendebamus: intellectus autem præpositione illa *ante* vt tantumdem significet atque *independentem* in antecedenti illo facile negatur consequentia; quod scilicet pro omni priori ad decretum debeatur stare conditionata contingentis futuritio: in qua suppositum prioritatis ad decretum de futuritione conditionata contingentis negandum eiusdem de causis est. Vnde discursus totus subsequens ei consequenti vniue innoxius, subruat, atque in vmbra ab ea inanes necesse est: proinde subsequentem discursum ad plenam argumenti planamque satisfactionem persequi otiosum esset. Sed tamen, quia in eo plura inuoluuntur capiosa, & fallacis plena, deregenda hic sunt: cum, vt apparent nil prorsus ab aduersariis sumum, imo nec simile vero pro suo, & contra nostram sententiam assumitum, vt similes in aliis materiis fallacias, & æquiuocationes terminorum pro Philosophia, & Theologia studiosorum communi vtilitate præueniamus; subsumpta igitur secundæ illationis minor falsa est eiusdem rationibus.

8. Nam possibilitas, nequit habere aliquam prioritatem, siue naturæ siue vniuersalitatis respectu decreti de futuritione conditionata contingentis, quod est, vt nuper euinebamus impossibile. Secundo, licet status possibilitatis sit omni Dei decreto vero vtraque prioritate, & naturæ, seu quasi naturæ, & maioris vniuersalitatis prior, non tamen inde inferitur id quod aliunde, & independentem ab actuali Dei decreto est ac proinde non illo posterior, debere ad illud ipsum signum possibilitatis, quæ prior decreto omni est, pertinere: ad idem enim signum anterius ea solum, quæ causa eiusdem effectus, seu in re præfente decreti sunt, vt summum pertinebant: ex eo autem, quod status conditionatæ futuritionis independentem ab omni actuali Dei decreto sit, non inferitur decreti Dei actualis alicuius, nedum omnis, causam esse: ac proinde illo naturæ, vel quasi naturæ priorem, neque ad prius illud possibilitatis rei, quo, quasi causa, & natura prior decreto de ipsa, eius possibilitas est spectare debere: neque ad prioritatem maioris vniuersalitatis, quam respectu decreti eiusdem possibilitas habet: alioqui musca, & quæcumque alia, quæ independentem à me, & decreto diuino de mei productione producuntur, & sunt pro priori naturæ ad mei productionem, decretumque de illa erunt statuenda, prioraque prioritate maioris vniuersalitatis erunt, si cuti est vtroque maiori vniuersalitate mei possibilitas prior.

R r Imo,

Imo, etsi duo causam alicuius adaequant, ac prioritatem naturae respectu illius adaequant constituant, ac proinde totum illud prius spectent; nullum tamen ad partiale prius proprium concausae alterius spectat, cum causa materialis ad formalem, aut efficientem, aut finalem ex eo, quod cum illis causet, non transeat: neque ex efficientibus actiua physica in moralem, & meritariam, & motiuam: neque instrumentalem in principalem, aut finalis impulsua in principalem, ac non impulsuam solum: oporteret autem aliud aliis causae in alterius genus transire, ut ad illud ipsum prius alterius concausae expectaret.

9. Quod si intra idem naturae, & causalitatis genus prioris, diuersum cuique causarum inadaequantur, etiam eiusdem generis, proprium designandum est: neque altera causa in alterius concausae priori proprio est constitutenda, licet ex omnibus adaequat prius causale, & naturae integretur: longe minus ad aliud prius quod, naturae, & causalitatis in alia ex concausis in concausam aliam transire, in eoque ipso collocari debet: id quod, apertius adhuc, conuincitur: ecce ad mei absolutam productionem plures causae absolute existentes natura, & causalitate praecedunt, Materia, dispositiones, feminis virtus, pater, mater, ac in primis mea possibilitas, sine qua nullam, nunquamque Dei decretum vllum de mea productione à Deo conciperetur, quod cum vtrique necessario natura praecedat: an è consortio horum omnium in mei causatione, & naturae prioritate stupidi aliquis dicat reliqua omnia, quae cum mea possibilitate mei causationem praecedunt, eandem cum illa prioritatem maioris vniuersalitatis, cum respectu mei, tum decreti diuini (& reliquorum aliorum) quam mea possibilitas habet, habere debere? atque ea omnia ad illud prius signum maioris vniuersalitatis possibilitatis meae spectare? applica lector aperta haec propositionibus, & consequentiis argumenti huius, & similium, quae in aliis materiis occurrerint: & videbis nihil in eis assumi, quod negari absolute, vel distingui, vel permitti non possit sine praedictio negandi libere consequentiam. Denique distingue. Prima consequentia de omni Dei decreto actuali, ut summum, probari, inferrique possit, de quo est antecedens: non autem de omni Dei decreto in hypothesi etiam vnde subsumptum statim antecedens intellectum de omni eo, quod antecedat, atque est prius natura omni Dei decreto actuali solum est falsa esse in statu solius possibilitatis: siquidem quod decreto actuali Dei prius esset, si tamen decreto Dei in hypothesi posito sit posterius, conditionate futurus erit, nec in statu solum praecursus possibilitatis, quae nullum Dei decretum, adhuc in hypothesi supponit, quare nihil est in eo argumento firmum.

## CERTAMEN XI.

*Reliqua siue à, siue contra rationem opposita abiguntur.*

1. **C**ertum iam, & breuius reliqua diluenda, ne longius quam par est, obiectionum momentum exposit, quaestio haec euadat. Opponit tertio Ioann. à S. Thom. ea futuritio à Deo decernente, siue à decreto Dei, saltem in hypothesi, esse debet per nos, quia est ab illo, saltem conditionate, causandum: ergo debet Deus cognoscere eiusmodi decretum in hypothesi, & pro conditione ad futuritionem conditionatam contingentis: atqui illud nequit ita cognoscere, nisi habeat actu voluntatem complacentiam de illo decreto: ergo haec praecedat, & futuritionem, & scientiam conditionatam contingentis: sed quid haec ad necessitatem decreti de futuritione conditionata contingentis, ut ipsa eiusque scientia suo modo consistat? nam complacentia nihil agit, sed actum supponit. Secundo: nego ad cognitionem decreti in hypothesi, huiusque pro conditione positionem suspensam mentalem, & cognitionem his vocibus explicatam, si decreto consentit, & vocato opus esse Deum de illo

decreto (quod, ut dixi nec determinatum nec determinans ad consensum est) sibi complacere amplius, quam de eius possibilitate, ex qua complacentia, nec futuritio illius, nec consensum adhuc conditionata ponitur, aut inferitur, neque eius scientia, sed à determinatione libera creatae voluntatis: inquit, Deus potest salua libertate disponere, ut foret potius oppositum, & negatio consensum sub conditione futura: ergo vtrumque pendet ab actuali Dei decreto. Nego antecedens, salua libertate, & conditione eadem: si enim Deus independentem omnino ab usu libertatis nostrae, & suo usu scientiae mediae decernat, si detur talis vocatio consentiat, vel non consentiat (quod facere absolute potest, licet ad futuritionem conditionatam opus non sit, ut faciat) non poterit non conditionate consentire voluntas sub conditione, sub qua consentura conditionate est, & non consentire conditionate sub conditione, sub qua conditionate non erat consentura: ex suppositione enim futuritionis, siue conditionatae, siue absolute consensum, aut negationis eius ab arbitrio, neque eius contradictorium, neque à Deo, neque ab arbitrio nostro poni: Si autem decreto illo de futuritione conditionata negationis consensum sub vocazione, sub qua alias consentiret de se, voluntas à Deo praeueniatur: iam libertas aboleretur, nec eadem esset conditio, sub qua non esset consentura: siquidem ex parte hypothesi, seu conditionis non sola vocatio, sed decretum illud esset, cuius negationem dicit conditio indifferens ad vtrumque vocacionis illius, sub qua libere de se voluntas consentiret conditionate.

2. Arguit tertio pluribus implexis, spiriosis, indigestis, atque ab ipso etiam imperceptibilibus pag. 610. quae ad hanc claram equiuocationem, si quo tandem, cum: veritas conditionata consensum, in nostra sententia, est, quod, si vocetur voluntas, Deusque decernat, seu offerat suum concursum indifferenter, voluntas consentit: ergo determinatio voluntatis supponitur ad illud decretum: ergo, licet sine illo non sit, tamen ea determinatio independentes ab illo est, & totaliter à voluntate. Primam consequentiam probat, quia decretum illud regulandum ad illudque dirigendum Deus est per scientiam conditionatam, ad quam consensus conditionatus supponitur: quare, & ad decretum ipsa regulatum, & posterius. Distinguo primum illud consequens. Supponitur ad decretum illud, prout in hypothesi, & pro conditione, ac suspense positum, nego: quin potius illud subsequitur, ut pote conditionem necessariam, à qua, sic posita necessario, & essentialiter conditionate consensum voluntatis pendet, atque arque vocazione, quae alia conditio, & pars hypothesi illius est, sub qua voluntas se determinabit, & consentiet. Supponitur ad decretum illud in statu absoluto apponendum, si apponendum sit, concedo: sicut supponitur ad decretum aliud absolutum collatum vocacionis, sub quo etiam consensus, & determinatio voluntatis absolute erit: quia ad vtrumque decretum, & vocacionem absolute ordine saltem praedestinatio, & perfecte prouido ex intentione consensus, & salutis praedestinati apponendum scientia conditionata dirigitur Deus, quae ipsa futuritione conditionata est posterior: quod solum prime eius consequentiae probatio suadet, non autem scientia conditionata dirigi Deum, inuatiue, ut decretum concurrenti in hypothesi, atque suspense pro conditione ponat, aut cognoscat: huius, neque, ut in ea etiam hypothesi cognoscat, seu ponat vocacionem scientia conditionata opus habet: imo nec potest inuari: cum haec posterioris obiecti ad hypothesin totam positam suspense, siue suppositam, sit: solum ergo scientia simplicis intelligentiae, vel formaliter, vel praesuppositiue tota illa hypothesi eiusque partes, scilicet decretum, & vocatio cognoscat à Deo possunt: quatenus hypothesi illae possibilitibus conditionibus constare debent, cum nequeat status vllus non fictus, & chimericus, sed verus (qualis est status conditionatus) principium, & causam seu conditionem sui habere impossibilem, sed possibilem. Determinatio autem conditionata voluntatis nullatenus est prior decreto in hypothesi, imo neque magis potest esse illa prior, quam effectus sua causa pro statu, in quo causa eius est, prior esse queat quod